



IESVS, MARIA, IOSEPH.

P R O
ANTONIO SABATER

MEDICINÆ DOCTORE, FRANCISCO
Punyed Aromatario, & alijs Arren-
datarijs.

C O N T R A

ELECTOS CREDITORVM DI-
CTOS DEL COS, VILLÆ DE
Arbeca.

*Ad relationem Eruditissimi Nobilis D. Iosephi de Pastor, &
Mora Regij Senatoris.*

Scriba Galceràn.



REGVLAM, qua iuvare prætenditur
ex adverso ad obtinendam in hac
supplicationis causa commutationē
R. Provisionis á qua, factæ per Mag.
Vincentium de Sabater, R. dignissimè
S. locum non habere in præsentì, ex
quo limitationes concurrant totali-
tèr applicabiles, quàm brevissimè demonstrabitur.

A

Est

2 Est igitur regula ; quod sterilitas, contingens in vno anno, compensatur cum fertilitate annorum præcedentium, & subsequen-
 tium ; ita vt conductor remissionem petere ne-
 queat, nisi facta demùm huiusmodi compensatione ; quæ
 expressiùs disposita continetur, in *l. 8. Cod. locat. & in cap. prop-
 ter sterilitatem, de locat. & conduct.* & eam exornant Gobius
consult. decis. 42. num. 8. & pro omnibus Practicorum gloria, pe-
 ritissimus Senator Nob. de Tristany *tom. 2. decis. 70. num. 26.*
 cum pagina ibi adductis. Sed tamen præfata regula plures ad-
 mittit limitationes, ex quibus nostro congruentes facto attingere tantum studebo.

3 Prima ergo limitatio supradictæ regulæ est, quando tot
 sunt locationes, quot sunt anni ; tunc enim cessat compensa-
 tio anni fertili cum sterili, & indistincte pro anno illo stere-
 li fit remissio conductori, Velazq. *de jur. emphi. quest. 27. num.
 46. Pacion. de locat. & conduct. cap. 47. num. 84.* ibi: *Et receden-
 dum erit à prædicta opinione, ubi tot sint locationes, quot anni,
 non enim valent anni fertiles vnus locationis suplere sterilita-
 tem alterius.*

4 Ciarlin. *contro. forens. lib. 1. cap. 47. num. 59.* ibi: *Et con-
 firmatur hæc similitudo, quia quando plures sunt locationes, &
 tot, quot sunt anni, cessat illa compensatio sterilitatis vnus an-
 ni cum vbertate alterius, sed indistincte fit remissio.*

5 Locationes autem dicuntur plures, & tot, quot sunt
 anni, quando locatio, sive arrendamentum factum est pro
 pluribus annis, si pensio, seu merces distributa est in singu-
 los annos, ita vt termini solvendi sint plures, & tot, quot
 sunt anni, Barro. *in l. cotem, § fin. de publican. colum. 3. in quest.
 publicanus, & colum. fin. per tot.* Alexan. *consil. 3. vol. 1.* Bossi. *in
 tit. de remis. merce. num. 23. circa principium,* ibi: *Et dic videri
 plures, sicut plures termini solvendi sunt, & tot censentur, quot
 sunt anni, sive quot sunt tempora in quibus fieri debet solu-
 tio.*

6 Cardin. Mantic. *de tacit. & ambi. conven. lib. 5. tit. 4. qui
 num. 12.* quæstionem proponit illis verbis, ibi: *Nunc autem
 elegantèr queritur, an locatio facta per plures annos, sit vna, vel
 plu-*

3

*plures intelligatur locationes? & post varias adductas opinio-
nes, & rationes, num. 16. inclinatur quod sint plures, ibi: Sed
adhuc si pro pluribus annis facta sit locatio, tot intelliguntur loca-
tiones quot sunt prestationes, ad notat. per Bartol. & c. Et aperiē-
do suam resolutionem n. 24. ad nostrum intentum tenet, ibi:
Quintus casus est quando locatio fit ad plures annos, & pensio per
singulos annos est distributa; & tunc plures videntur locationes,
vel si vnica est locatio ea dividi potest Bald. d. conf. 475. num. 8.
lib. 1.*

7 Cum autem in nostro casu locatio, sive arrendamen-
tum factum pro quatuor annis conceptum reperitur cū di-
stributione pretij, seu mercedis in singulos annos, pro quoli-
bet eorum certa mercede, & pretio assignato, non autem vni-
ca pensio, seu pretium pro omnibus quatuor annis, & toto
tempore arrendamēti constitutum sit; sequitur dictum arren-
damentum plures continere locationes: consequenterque in
illo compensationis regulam non militare.

8 Quibus sic firmatis facilius satisfacit obiectionibus, ex
adverso allegatis contra hanc opinionem à num. 2. ad 10. se-
cundæ allegationis: etenim ratio individuitatis qua Fab. mo-
vetur in diffinitio. 3. tit. 42. lib. 4. quaque Adversans exempla
alia adducit, locum non habet in locatione, facta distributa
mercede pro singulis annis, quibus est duratura, cum
in hoc casu divisionem admittat contractus, & separati sint
inter se: vnde Fab. & alij si qui sint asserentes vbertatem cum
sterilitate compensandam, intelligendi sunt, quando locatio
pro pluribus annis facta continet tantum vnicam, & indivisā
mercedem, aut pensionem, tunc enim vnica est, & dividi nō
potest, sicuti firmat Mantica. d. tit. 4. num. 23. ibi: *Quartus est
casus, quando locatio facta est ad plures annos veluti pro centum
aureis, & tunc propter vnitatē pensionis vna intelligitur locatio,
Bartol. in l. si servus communis me vij, §. ultim. nu. 7. vers. Sed in om-
nibus, de stipulatione servorum, & hæc locatio, quia est VNICA, di-
vidi non potest.*

9 Caroc. de locat. & conduct. par. 3. de remis. merce. cap. 46.
num.

4
n. 13. ibi : *Et fit compensatio cum annis immediatè præcedentibus & dicuntur anni immediatè præcedentes decē ante vel post, DVM-MODO SVB VNA PENSIONE CONTINEANTVR, nedū annus immediatè præcedens tantum.*

10 Et in omni casu, quod repugnantia reperiretur inter DD. circa hunc articulum vnitatis, aut pluralitatis locationis factæ pro pluribus annis, concordari possent, dicendo, quod dicta locatio, pro pluribus annis facta, est vnica respectu obligationis, & contractus, non autem ad effectum remissionis, pro vt sic docet Bossi. d. tit. de remis. merce. num. 23. circa medium, ibi : *Tamen tenendo plures esse non obstant notata in d. l. licet, quia loquuntur in diversis locationibus pænitus separatis, nō in vna locatione facta eodem tempore, quæ contineat plures locationes, veritas est unicam esse locationem per ea quæ dixi, TAME N SINGVLO ANNO FIT REMISSIO, QVANDO SINGVLO ANNO SOLVITVR, item singulo mense fit remissio si singulo mense solvitur, ET SIC QVO AD EFFECTVM REMISSIONIS FACIENDÆ, dicuntur plures locationes non aliter, & ita voluit dicere Alexand. in d. conf. 3. Quod iterum repetit nu. 34. ibi : *Sic etiam supradixi, quod licet locatio duret pluribus annis, tamen dicitur vna locatio dumtaxat, VERVM QVO AD EFFECTVM INDVCENDÆ REMISSIONIS DICVNTVR TOT, QVOT SVNT TERMINI.**

11 Vnde cum in nostro arrendamento cōtentioso plures sint termini solutionis mercedis, & pensio non sit vnica pro toto tempore quatuor annorum, pro quibus facta fuit locatio, plures iudicandæ sunt factæ locationes ad effectum petendæ remissionis, sicque cessabit quoad hunc effectum præiacta regula compensationis inductiva.

12 Secunda limitatio suppositæ regulæ est, quando remissio pensionis petitur à Conductore, non ex dispositione iuris, sed tantum in vim pacti conventi; eo enim in casu cessat etiam compensatio fertilitatis cum sterilitate, & pro damno passo relevatur conductor, Angel. conf. 312. num. 6. Caroc. de locat. p. 3. cap. 46. n. 15. Cyriac. controu. contro. 151. nu. 21. Pacio.
de

5

de locat. cap. 47. num. 36. Gob. consult. decis. 42. n. 9. & 16. Ciarlin. contr. lib. 1. cap. 47. num. 57.

13 Quæ quidem limitatio totaliter nostro congruit casui, in quo in instrumento arrendamenti cōventū legitur, ibi: *Que se cas serà lo que Deu no vulla, q̄ per causa de peste, ó guerra, se dexarà de conrefar, y aixi mateix no poderse peixer las herbas de dit terme, que en tal cas, y no altrament, tot lo temps que dit terme se dexarà de conrefar, y las herbas nos porán peixer, no sia tingut ni obligat en pagar lo preu de dit arrendament.* Ex quibus de promittitur remissionem prætij, aut mercedis pactatam fuisse, in casum quo fructus comprehensi in arrendamēto colligi non possent.

14 Hacque conventio restringi nequit ad terminos iuris, ita vt aliud non operetur, quam illud, quod á iure cuiilibet conceditur conductori læso, siquidem hoc tantum procedit, quando conventum est, quod fiat *debita remissio*; aut *secundum ius*, non autem, quando pactum simpliciter paciscitur, quod solvi non debeat prætij, vt in præsentibus, Boss. *dict. tit. de remis. merced. num. fin.* Mant. *dict. lib. 5. tit. 8. num. 21.* Tondur. *quest. civil. cap. 31. num. 11. & 12. tom. 1. Pacion. dict. cap. 47. num. 43.*

15 Quod evidentius procedit ex quo pactum contentiosum conceptum reperitur illis verbis: *Tot lo temps que dit terme se dexarà de conrefar*, quo casu concors est opinio pactum prædictum non esse regulandum iuxta iuris dispositionem, sed ultra operari Pacion. *d. cap. 47. num. 96.* ibi: *At tatius erit considerare verba pacti, an simpliciter sit conceptum, ita vt interpretationem à iure recipere possit, an verò sit relatum ad annos singulos, vt distinguendo eleganter probat Fab. in Cod. lib. 4. tit. 42. def. 35. Et exemplum secundi casus est si dictum fuerit, è mancando si di qual che parte in vno anno, quia non potest intelligi de pluribus annis, & voluit, Costa *conf. 66. num. 5. & seqq.* pro vt etiam si adsit pactum, quod conductor non teneatur solvere pro tēpore, aut summa impedimenti, nā verba illa pro tempore significant quod habenda non sit ratio totius temporis locationis, sed pro*

B

quo-

6
quovis tempore quo impediatur conductor, non teneatur solvere
Menoch. conf. 835. num. 23.

16 Et licet in dicta secunda adversantis allegatione duplici nitatur satis fieri medio, primo scilicet quia pactum huiusmodi duplicem comprehendit casum, scilicet inculti termini dictæ Villæ Arbecæ, & impossibilitatis pascendi herbas cum dictione copulativa, quod quidem non evenit ob non verificatas ambas partes copulatas; & secundo, quia casus, ob quem sequuta fuit sterilitas non fuit comprehensus in pacto, imò exclusus; tamen hæc, non obesse amplectendum est.

17 Siquidem (præterquã quod in facto non constat, quod ambæ conditiones præfati pacti adimpleræ non sint, imò contrarium demonstrabit hæc pars, scilicet locustarum edacitatem non solum fructus, sed & herbas etiam devastasse in toto termino dictæ Villæ Arbecæ, taliter quod depasci absque damno non potuerunt, prout hæc articulavit hæc pars in causa, & id probasset si locus datus fuisset) necessarius non est concursus adimplenti dictarum conditionum, aut partium copulatarum, copulativa enim in hac materia resolvuntur in alternativam: & ideo si conveniat etiam inter locatorem, & conductorem, ut remissio fiat in pluribus casibus fortuitis per copulativam unitis, sufficit solum unum evenire, nec requiritur omnium concursus, Bursat. conf. 81. num. 27. volum. 1. Caroc. d. par. 3. cap. 46. num. 50. ibi: *Quid si adsit copula, ut potè gbelli, & pestis, si unus tantum contingat fiet ne remissio? Utique sic.*

18 Pacion. d. cap. 49. n. 19 ibi: *Stante pacto quod fiat remissio in casu belli, & pestis, licet dubitari posset an simul concurrere debeat utraque causa scilicet, & belli, & pestis propter virtutem copulae, quæ requirit concursum utriusque copulati, tamen contrarium erit dicendum, prout probat in specie. Bursat. conf. 81. num. 19. & seq. ubi pluribus modis respondet dictæ virtuti copulae.*

19 Minus officit secundum, quod ponderat medium adversans à num. 15. in fin. dictæ secundæ allegationis, ubi demonstrare conatur casum sterilitatis, passæ toto in termino
de

de Arbeca propter incursum, & devorationem locustarū, nō
fuisse comprehensum, sed exclusum in præfato pacto, ex quo
in illo expressi tantū reperiantur belli, & pestis cū dictionibus
restrictivis ad litteraliter expressos, & exclusivis aliorum: Quo-
niam licet regularitèr, conventa expressè remissione in ali-
quo casu, inferatur renuntiatio aliorum casuum, ex regula
quod vnins inclusio est exclusio alterius, tamen hoc non pro-
cedit, quando casus, qui non sunt expressi, sunt omninò si-
miles cum expressis, tunc enim neque censentur exclusi, ne-
que conventio cōharctata ad expressos tantum, sed habet lo-
cum in similibus; *l. eum qui §. si rem. ff. commodati* Caroc. *de lo-
cat. part. 3. cap. 46. num. 35. & 36.* ibi: *Quid si in instrumento con-
ductor promisit non petere remissionem, nisi in uno casu tantum in
instrumento specificato an videantur exclusi alij, Corneus quod
sic. Limita, nisi aliquid sit expressam gratia frequentioris usus,
vel casus omissus SIT SIMILIS EXPRESSO, vel militat ea-
dem ratio.*

20 *Pacion. d. tract. cap. 49. num. 42.* ibi: *Verum nec contra-
ria opinio rationibus destituitur, nam si conventa fuerit remissio
in aliquibus casibus, idem dicendum erit in alijs similibus, quia
in contractibus proceditur de similibus ad similia, & hanc opi-
nionem DD. auctoritate fulciti, & ab ea non esse recedendum
asserit, num. 45.*

21 *Quod quidem procedit etiam, licet expressio certo-
rum casuum sit facta cum dictionibus taxativis (quod est,
quod ponderat adversans, ex Ramon. consil. 28. num. 8. consil.
29. num. 13. & Barbosa claus. 81.) in hoc enim casu casus similes
comprehendi etiam, & intelligi pactatos in dubium est, Bald,
in l. 2. Cod. de appella. Aret. consil. 106. colum. penult. Bossi d. tit. de
remis. merce. num. 36. vbi proponit casum similem nostro illis
verbis, ibi: *Sed quid si publicanus pasciscatur velle locatorem
teneri de casu belli, & pestis, ut semper fieri video, quia dici-
tur, quod in casu belli, & pestis fiat debita remissio, an præter hos
duos casus fieri etiam debeat, videtur non deberi fieri, quia ex-
cepti sunt hi duo casus tantum, & relatis rationibus dubitandi**

ait,

8
ait, ibi: *E contra videtur dicendum adhuc locatorem teneri ex alijs casibus fortuitis; non obstat primum fundamentum, quod exceptio firmat regulam; quia exceptio, siue casus exceptus à regula extenditur ad casum similem, ETIAM SI EXCEPTIO ESSET CVM DITIONE TAXATIVA, & idealiter in conductione careatur expressè, vel etiam ex tacita verborum significatione cautum sit, quod cōductor vult solvere integram mercedem, PRE- TERQVAM IN CASV BELLII, ET PESTIS, ET SIC TANTVM HI DVO CASVS SINT EXCEPTI; TAMEN IDEM VIDETVR DICENDVM IN ALIIS CASIBVS FORTVITIS SIMILIBVS. Et num. 37. ibi; Et ita ego teneo quia (vt supra dixi) casus exceptus etiam per DITIONEM TAXATIVAM non excludit alium casum similem.*

22. Quem sequuti sunt Peregr. *consil. 98. num. 8. lib. 5. Pa- cion. d. cap. 49. num. 47. ibi: Quod enim, nec taxativa in expres- sione certorum casuum adjecta sufficiat ad hoc vt non veniant alij sensu Peregrin. cons. 98. num. 8. prope fin. lib. 5. reddens rationem, quia taxativa excludit extranea, non que veniunt secundum na- turam actus per glos. &c.*

23. Cum autem casus edacitatis locustarum, qui evenit in termino de Arbeca, non tantum similis, & ejusdem ratio- nis cum expressis, belli scilicet, & pestis, sit, sed potius com- prehensus sub verbo bellum, & casu belli Magon. *decis. 67. num. 6. vers. Hic autem in fine,* cum pluribus alijs quos de more exornat Egregius, & Nob. Senator de Tristany *dict. decis. 70. num. 19. in exornatione voti ibidem inserti lit. B. & E. & ex- pressè asserverunt Nobiles, & Mag. Senatores, qui in præfa- to voto adstiterunt, ibi: Perque la Llangosta es lo mateix que la guerra: Sequitur inde casum Locustarum fuisse comprehen- sū in pacto nostro contentioso; consequentérque, remissione promissa in casu pestis, & belli, intelligitur promissa, & pacta- ta in casu edacitatis Locustarum.*

24. Quod confirmatur a primè doctrina, & rationibus ad- ductis in præfato voto inserto *in d. decis. 70. in quo licet Do- minis objiceretur cap. 34. Cur. anni 1599. disponens pecunias*

9

Generalitatis Cathalonix expendi non posse, nisi ob defensionem jurium Generalitatis, aut in casum belli, cum illis verbis taxativis, *y no altrament*, (quæ eadem sunt ac contenta in nostro pacto) tamen casum Locustarum per dictum *cap. Cur.* exclusum non censerit, imò potiùs comprehensum ob similitudinem, & idempnitatem rationis, & æquitatis, præsuposuerunt Domini auctoritatibus, adductis per d. Nob. de Tristany in lit. B. P. & Q. Non obstante quòd à Constitutionibus, & Capitulis Curiarum Cathalonix omnis interpretatio removeatur, & ad litteram, & sicut jacent sint intelligendæ pro uti docet idem Nob. de Tristany in *d. voto lit. R.*

25 Quibus sic præjactis facilis fuit solutio ad adducta *num. 16.* adversæ allegationis, nam Gob. ibi allegatus *decis. 24. num. 35. ad 37.* licet dicat casum qui evenit non fuisse comprehensum sub pacto remissionis mercedis convento, hoc tamen fuit, ex ratione quam ipse adducit; scilicet, quia casus grandinis, qui evenit, erat longe diversus, & dissimilis ab expresse pacto, qui erat belli, ibi: *Qui idè cum longe distet à casu grandinis, hinc est quod ad illum statuti dispositio trahi non potest.* Vnde si casus fuisset similis, & ejusdem rationis, ac idem cum pacto, seu comprehenso in statuto Mantuano de quo ibi, absque dubio contrarium tenuisset Gobius, adherendo se supra stabilitæ doctrinæ.

26 Quæ quidem roboratur amplius, ex quo licet conductor renuntiet omnibus casibus fortuitis, & insolitis; non tamen intelligitur renuntiasse casibus rarissimis, & insolitis in superlativo gradu, Pacion. *dist. cap. 49. num. 63. & 65.* Egregius Senator de Tristany *d. decis. 70. num. 39.* casus autem Locustarum non tantum insolitus, & fortuitus est, sed etiam ex insolitissimis, & qui neque in genere cogitari poterat; cum talis dicatur ille, qui hominum memoria probari non potest, nec in centum annis evenit, nisi semel Mantic. *d. lib. 5. tit. 8. n. 6. vers. Neq; vero Barbosa in collect. ad cap. propter sterilitatem 3. de locat. & conduct. n. 8.* Consequentèrque licet conductor renuntiasse intelligeretur omnibus alijs fortuitis, & insolitis; ta-

men Locustarum casum renuntiatio non comprehendit, sicque sicuti excepti, & pactati sunt belli, & pestis, Locustarum etiam exceptus, & pactatus, non autem renunciatus dignosci oportet.

27 Tertia ex doctrina hac insurgit limitatio supra stabilitæ regulæ, ob quam in præfata regula applicari nequeat; quando enim sterilitas ex casu valde insolito, (vt est Locustarum) dimanat, fertilitatis compensationem non admittit. Vt tenet Caroc. *d. par. 3. cap. 46. num. 14.* ibi: *Declaratur tertio, nisi sterilitas provenisset ex casu insolito, quia tunc conductor non compensat cum fertilitate alterius anni, sed fit remissio mercedis.*

28 Quare inhesitantè asserendum venit regulam præfatam de compensatione anni fertilis cum sterili inducenda, cessare in nostro casu. Primò, quia vnica, & individua non est locatio, sed divisibilis, aut plures: Secundò, quia remissio fuit pactata; Et tertio, quia sterilitas secuta fuit ob casum valde insolitum, rarissimum, & inopinatum in superlativo gradu: sicque remissionem prærij huic parti esse tribuendam.

29 Et hanc remissionis exceptionem, ita justificatam, retardare executionem, admittiq; debere (pro vti admissa fuit Regia supersedimenti provisione à qua) contra instrumentum guarantee, certius, & æquius est.

30 Quoniam licet à iudicijs executivis, & instrumentis guarantee arceantur exceptiones altiore indaginem requirentes, vti deduxit Adversans in prima allegatione; Tamen huiusmodi remissionis exceptio talis non est, & in iudicio executivo, & contra obligationem cameralem, & rigurosam ex veriori opinione (quid quid dicat Balmaseda *de collect. quest. 54. numer. 21.*) admittitur Gravian. *discep. cap. 534. num. 41.* Actolin. *resol. 43. nu. 8.* Pacion. *cap. 45. num. 17.* Tondut. *d. cap. 31. nu. 18.* & 34. Gob. *d. consult. 42. num. 28.* qui omnes indistinctè tenent talem remissionis exceptionem in executivis locum habere.

31 Et in omni casu Balmaseda, & si qui sint alij eiusdè opi-

opinionis, intelligendi sunt, quando remissionis exceptio indiget probationibus, quæ eã altioris indaginis reddere valeãt; non autem quando ante executionem petitam damnum, & sterilitas ob quam petitur, sunt probata; tunc enim respuenda non est, provti sic pulchrè pro more distinguendo tenet Gratian. *dict. cap. 534. nu. 41.* ibi: *Et quid quid sit de predictis, quando est probata sterilitas, & calamitas magna provt. in casu nostro, semper cessat obligatio cameræ, quæ licet regulariter non impediat per exceptionem remissionis pensionis tanquam sit altioris indaginis: Tamen hoc procedit, quando ante executionem petitam non fuit probata sterilitas, & damnum illatum, secus quando de eo constaret, tunc enim non dicitur amplius talis exceptio requirere altiore indaginem, vnde tanquam probata merito facit cessare omnem virtutem obligationis cameræ; quem sequuti sunt elegantius Rot. post Zach. *de oblig. cameræ decis. 105. nu. 6. & 7.* Tondut. *dict. cap. 31. num. 34.**

32 Quæ doctrina ex omni parte nostro congruit facto, cum ante executionem petitam per adversantem, fuerit iam probatum damnum illatum, & sterilitas passa in termino de Arbeca ob locustarum incursum, & devorationem, ita vt nil collectum fuerit in eo, vt deponunt duo Testes ministrati antequam executio postularetur, cuius depositiones sunt in processu, & notorium est.

33 Aut etiam intelligendi sunt contrariæ opinionis Sectatores, quando remissionis exceptio non petitur in vim pacti conventi eam faciendi, sed solum à jure: pactata enim remissio obligationem rigurosam, & executivam suspendit, optimè Tondut. *d. cap. 31. num. 18.*

34 Vel tandem intelligendi sunt, quando remissionis exceptio ab alio quam ab instrumento, ex quo agi prætenditur, capienda est, si enim ex eodẽ instrumento oriatur, executionem retardat, Tondut. *d. cap. 31. n. 23.* & regulare est in similibus exceptionibus, ex eodem instrumento provenientes, Tur. *conf. 91. num. 29. vol. 1.* Angel. *de acq. possess. q. 2. num. 245.* Galles. *de oblig. camer. q. 17. num. 8.* & ibi Zach. *num. 101.* Rot. *tract.*

post tract. decis. 36 num. 2. & decis. 42. n. 7. & decis. 106. nu. 5. Coc-
 cin. decis. 275. num. 2. Bonde. collect. 27. num. 16. tom. 1. & si al-
 tiorem requirant indaginem, Garcia de benef. par. 1. cap. 5. num.
 18. & 400. Rot. post Zach. decis. 8. Bonde. d. collect. 27. nu. 17.
 35 Vnde cum remissio per hanc partem petita reperia-
 tur pactata, & proveniat ex eodem instrumento arrendamēti
 ex quo executive agere intendit adversans, merito contra
 rigorem illius admittenda est, executionemque retardare, su-
 per sedimenti provisionem, tam rite factam confirmando, de-
 clarandum est, concludendo cum Cyriac. dict. contr. 151. num.
 fin. quod in dubio etiam, pronūciandum est in favorem Con-
 ductorum contra locatorem, & ita speratur. Salvo, &c. Bar-
 cin. 9. Februarij 1689.

Dehona V. I. D.

follets

Pro Antonio Sabater medicinae doctore,
Francisco Puyet aromatario et alijs assen-
datat^{is}, contra electos creditorum dictor del
Corvillae de Arbecos. Barcin 1689. foll
in fol. ¹² pag^o

P. 174